

*gladiatorii ludi*, mortuorum in honorem exhiberi soliti. Nam quoniam olim defunctorum animas humano propitiari sanguine creditum erat, captivos vel alto ingenio servos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare: itaque quos paraverant, armis, quibus tunc & qualiter poterant, eruditos, mox edicto die feriarum apud tumulos erogabant, quo de legi potest *Lips. in Saturnal.* Quin eò inhumanitatis processit Romanorum crudelitas, ut, cum populus ejusmodi ludis impensè caperetur, etiam voluptatis causà à Magistratu dati sint gladiatores. Nec homines tantum cum hominibus ferali pugna congregiebantur, sed contra bestias quoque in Amphitheatro dimicationem capessere cogebantur, ac, ne quid immanitati deesset, quandoque inermes certare compellebantur, aut etiam ad palum deligati atrocium beluarum in se emissarum morsus laniatusque sustinebant. Et cum non sufficerent semper huic spectaculo servi aut alii homines, qui capital fecissent, eorum in locum conducebantur, qui populi oculos animosque tam bello spectaculo satiarent. Ac proditum est eò levitatis atque insanie, ut non plebeji solum, verum & honorati, & mulieres etiam ejusmodi pugnae accingerentur. Vid. *Jac. Pont. Pro-gymnasm. 77.*

XVIII. Neque etiam per omnia probare possumus *scenicos Romanorum ludos*, siquidem plebs Romana talibus spectaculis ad furorem usque dedita fuit, quo nomine apud *auctorem de causis corruptae eloquentiae 29, 4.* vapulat, qui asserit, *propria & peculiaris ejus urbis vitia pene in utero matris sibi videri concipi, histrionalem favorem, & gladiatorum, equorumque studia.* Et prolixius hac de re videri potest *Valer. Max. l. 2. c. 4. de spectaculis.* Exinde tamen neutiquam est inferendum, nullos planè scenicos ludos aut licitos, aut in republica tolerandos esse. Nam ut taceam, per istas recreationes avocari multos à perniciosis in rempublicam consiliis, aut actionibus aliis, quas minus decenter animi fortè causà susciperent, quam optimam stabiliendi imperii artem Augusti exemplo manifestam facit sagacissimus *Tacitus l. 1. Ann. 2.* Augustoque ipsi commendavit *Pylades histrio*, ut *Dio, l. 54.* auctor est; illud saltem edisseram, haud exiguum præstare usum hos ludos

magnis